

Literar. Visitationis Sacrorum Liminum, pag. 401.

(164. Ex hoc vero, quod suspensus ab Episcopo ob occultam causam, quam tamen Episcopus sibi notam asserit, appellare nequeat ad Superiorem, necessario consequitur, quod si nihilominus appellationem interponere, ejusdem obtentu in Altari ministrare, seu quovis modo suum Ordinem solemniter exercere præsumat, statim incidat in irregularitatem. Quidquid enim in contrarium senserint nonnulli Doctores, ita expresse definivit S. Congreg. Conc. in Sagonen. 21 Jan. 1625. lib. 24. *Positionum* pag. 1. ubi hæc adnotantur. « Episcopus Sagonenensis ex facultate sibi attributa Decreto Concilii cap. 1. sess. 14. ex causis sibi notis suspendit Parochum ab exercitio Curæ: sed ille appellavit, et Curam exercuit. Quæritur an a dicta suspensione detur appellatio, ita ut Parochus, non obstante appellatione interposita, per exercitium Curæ effectus fuerit irregularis? Sacra Congr. Conc. censuit ab hujusmodi suspensione non dari appellationem, et Parochum, qui Sacramenta, ut supra, ministravit, irregularitatem contraxisse. »

(165. Episcopi, quibus usque modo concessa est facultas impertiendi benedictionem cum Indul. plen. fidelibus in mortis articulo constitutis, ut ea possunt non tantum ad tempus, ut limitatur in Brevibus ab illis impetratis, sed quandiu in Diœcesi, cujus intuitu illam obtinuerunt, permanserint. Habent etiam facultatem subdelegandi alios pios Sacerdotes, quotquot judicaverint opportunos, ut ipsis Episcopis impeditis eandem indulgentiam conferant. Subdelegari vero ea facultate ad se transmissa uti possunt pro tota Diœcesi, vel territorio, cui destinati sunt, quoadusque in hoc munere perseverant, etiamsi Episcopus delegans obierit. Demum facultates istæ deinceps concedentur perpetuæ omnibus, et singulis Episcopis, qui literas ea de re petierint: quam etiam facultatem obtinebunt Prælati inferiores, territorium separatim habentes cum vera qualitate *Nullius*, et activa jurisdictione in Clerum, et Populum. Ita sancit Benedictus XIV. Constit. incip. *Pia Mater* edita ann. 1747. nonis Aprilis, in qua etiam ritum hujus benedictionis præbet.

(166. Episcopus in sua Synodo non potest quidem definire quæstiones de Fide, sed prohibere potest errores jam ab Ecclesia proscriptos, ut ex Gonzalez in cap. *Vestra* deditur; *De Synod. Diœces.* lib. 6. cap. 4. § 7.

(167. Episcopis in Synodo fas est non quidem rem aliquam inter Doctores controversam definire, sed praxim prohibere, uti v. g. non licet illis pronunciare, utrum jejunii essentia in abstinentia a carnibus tota consistat; sed etiam ante Bullam Benedicti XIV. jus illis fuit injungere, ut qui dispensationem ad carnes diebus jejunii vescendas obtinuerant, unicam comestionem servarent. *De Synod. Diœces.* lib. 7. cap. 3. § 1.

(168. Episcopo ex epicheia fas est aliquando in iis præsertim, quæ dilationem

non patiuntur, nec facile Summus Pontifex consuli potest, circa ejus commune relaxare, ut decisum a Sac. Congregat. Concilii refertur ibid. lib. 7. cap. 17. § 1. Id tamen non nisi in speciali rerum articulo, neque ea de re statutum universale concedere potest, ut ex communi DD. ibid. § 2.

(169. Ad Diœcesanum Episcopum pertinet Ecclesias consecrare, eique fas est id muneri demandare alteri Episcopo, minime vero Presbytero, etiam cum oleis ab ipso Episcopo benedictis: Ita ex DD. ibid. lib. 13. c. 15. § 2. nov. edit.

(170. Consecratas insuper Ecclesias, atque pollutas nemo præter Episcopum Diœcesanum reconciliare potest, nec fas est id muneri demandare Presbytero, quamquam cum aqua ab Episcopo benedicta. Si tamen Ecclesia non fuerit consecrata, sed tantum benedicta, facultas dari potest, ut per simplicem Sacerdotem, adhibita tantum aqua lustrali, Ecclesia polluta reconcilietur; ibid.

(171. Episcopo curandum est, ut legata pia impleantur, quod præstare ipse potest; etiamsi prohibitus fuisset a Testatore; ut ex cap. *Sua nobis, de Testament.*

(172. Quod si Testator executorem reliquerit sui legati, et ei in casu quod segniter agat, alterum substituat, tunc Episcopus, si subdelegatus etiam segniter egerit, curam ejus exequendi in se suscipere debet; quod valet etiam in omnibus piis dispositionibus, tam in ultima voluntate factis, quam inter vivos, ut ex Trident. sess. 22. *de Reform.* cap. 8; valet etiam non solum pro Episcopis, sed etiam pro Prælati inferioribus habentibus territorium separatim, et jurisdictionem quasi Episcopalem, *de Synod.* et c. lib. 13. cap. ult. § 1. et 2. nov. edit.: valet etiam pro Vicario Capitulari Sede vacante, ut in legato de Missis statuit Sacra Congregatio. *ibidem* § 2.

(173. Fabrica S. Petri in Vaticano in locis suæ auctoritati subjectis (non enim sunt omnia) non se immiscet jurisdictioni Episcoporum in ordine ad legata pia, et Missarum onera, nisi post annum ab obitu Testatoris, quo anno elapso piarum voluntatum executioni se immiscet, etiamsi judicium ceptum ab Episcopo terminatum non fuerit, ut ex DD. constat, *ibidem* § 3.

NOVISSIMÆ ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Plura profecto hic habet Auctor. Sed, et dicta ab eo magis illustrari possent, tum alia possent addi. Sed ne limites egrediamur Additionum, hæc tantummodo afferimus.

(174. Episcopus sane post electionem ante possessionem de jure Canonico antiquo poterat ea omnia exercere quæ pertinent ad jurisdictionem, et signanter conferre Beneficia. (175. Idque quia in ipso momento factæ electionis consumebatur vacatio Ecclesiæ, ut sequendo originalem theoreticam glossæ in cap. 13. verbo *de talibus, de Election.* firmant. Germon *de Indult. Cardin.* § *Nec non quarumcumque* n. 3. et duob. seq. *Matta de Caus. Consistorialib.* sect. 2. n. 37.

(176. Sed experientia compertum fuit, quod Episcopi hæc abutebantur potestate; Refert abusus hosce Rota in Corduben. Beneficiorum 3. Decembr. 1696. cor. bon. mem. Ursino. (177. Factum hinc fuit, ut Bonifacius VIII. in Extravagant. *Injunctæ de Election.* hæc ipsis ademerit potestatem, et ita quidem ut deinde Episcopi non nisi apprehensa possessione eam exercere potuerint, possintque etiamnum.

(178. Episcopus nequit Ecclesiam de non numerata reddere numeratam. Hæc enim immutatio non nisi S. Sedi competit, ut firmant Piton. *discept. Eccles.* 17. n. 45. Rota in Colonien. nominationum ad Canonissatus 1 Jul. 1729. § *Absque eo quod*, coram bon. mem. Ratto inter impressas dec. 264. num. 8.

(179. Episcopi Germaniæ anno 1630. a Sac. Congr. de Propaganda Fide potestate donati sunt disponendi in conservationem, tum augmentum Catholicæ Religionis Bona ab Hæreticis recuperata, vel recuperanda. Sed dispositio hæc sine Apostolico beneplacito perfici nequit.

180. Episcopus, cui potestas est mutandi Canonicos de una ad alteram Ecclesiam unitam, potest mutationem hæc facere absque ipsorum consensu, causæque expressione; Rota in Giennen. Juris mutandi 28 Jun. 1702. § *Et sane* cor. bo. mem. Pio.

ARTICULUS VII.

Episcopus quoad ea, quæ concernunt episcopum regularem, titularem, et suffraganeum.

(1. Episcopus Regularis a die suæ confirmationis, et assumptionis ad Episcopatum liberatur ab obligatione suæ Regulæ, scilicet a jejniis, vigiliis, silentio, modo canendi in Choro, et reliquis observationibus præscriptis in Regula; Donatus *Prax. Regular.* tom. 1. part. 2. tract. 8. quæst. 51. num. 6. Portell. verb. *Episcopus* num. 13. Thomas del Bene *de Inquisit.* p. 2. dub. 236. sect. 67. Felix Potestas tom. 1. p. 2. num. 1865. Peyrin., Rodriq., Busemb. et alii passim, et habetur ex cap. *Statutum* 1. caus. 18. quæst. ibi: « Statutum est, et rationabiliter secundum Sanctos Patres a Synodo confirmatum, ut Monachus, quem electio canonica a jugo Regulæ Monasticæ professionis absolvit, et Sacra Ordinatio de Monacho Episcopum fecit, velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem, postea jure vindicandi potestatem habeat. »

(2. Non absolvitur tamen a Votis essentialibus, quia non desinit esse Religiosus, sed solum est exemptus quo ad aliquos effectus Paupertatis, et Obedientiæ juxta decentiam status. Licet enim non teneatur amplius ad obedientiam Prælati Regularis, tenetur tamen ad obedientiam Papæ, unde non dispensatur ejus Obedientia, sed mutatur, sicut nec dispensatur ejus Paupertas, quia non acquirit dominium honorum Ecclesiæ, sed administrationem, liberam tamen quoad suam sustentationem, et causas pias; Hinc S. Bonaventura in 4. sentent. dist. 38. § *Ad illud*

num. 47. sic præcise ait: « Est enim divitiarum non dominus, sed dispensator, etc. Similiter in voto Obedientiæ non est dispensatus, quia omnem obedientiam, quam debebat prius suo Superiori, debet Papæ. » (3. Episcopi Regulares illarum Religionum, quæ ultra tria Vota essentialia omnibus communia, emittunt aliud quartum Votum essentialia, ut est Votum vitæ Quadragesimalis apud Minimos, tenentur etiam ad illud, nisi specialiter a Sede Apostolica dispensentur; Unde Peyrin. tom. 3. privileg. cap. 14. n. 3. refert, quod tres Summi Pontifices, scilicet Paulus V. Gregorius XV. et Urbanus VIII. dispensaverunt in hoc Voto cum tribus Minimis ad Episcopatum assumptis; et signanter Urbanus VIII. in examine Patris Francisci Castellani pro Episcopatu Caprulensi, eum interrogavit: « An factus Episcopus teneretur ad Votum vitæ Quadragesimalis? » et cum respondisset: *Non teneri*, Papa ei dixit: *Errasti, teneris*, et parum defuit ut excluderetur; noluit tamen cum eo dispensare.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Regulares ad Episcopatum dignitatem evecti, nedum ad essentialia vota servanda tenentur, verum etiam ad reliqua vota in professione emissa, seu obligationes per propriam respectivam regulam inductas, puta ad jejunium aliquibus determinatis diebus, etc., modo horum observatio compossibilis sit cum statu Episcopali; Ita siquidem decrevisse constat Benedictus XIII. in Constitut. *Custodes* 7 Martii 1725. cujus hæc sunt verba: « Iisdem Regularibus tam ad Episcopatum quam ad Cardinalatum evectis præcipitur, in virtute S. Obedientiæ, sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium ipso facto incurrenda Papæ reservata, ut singulis suæ Regulæ officii, et obligationibus, quæ Pontificale, sive cujuscumque alterius dignitatis, aut Cardinalatus officium minime impediunt, perpetuo subsint. » Hinc etenim liquet prædictos Episcopos subesse omnibus illis obligationibus, quæ in regula, quam professi fuerant, exprimuntur, quæque non pugnant cum onere, et dignitate Episcopali. Idque respectu Franciscanorum præsertim tenendum est tamquam certum, cum eorum Regulæ præcepta obligent sub mortali, a quorum obligatione nisi specialiter a Sede Apostolica dispensationem obtinuerint, nulla causa est, cur censendi sint exempti dum ad Episcopatum promoventur.

RESPONSIO AUCTORIS.

At citatam hic a Rom. Theologo Constit. Bened. XIII. incip. *Custodes*, ego jam ad literam attuleram sub verb. *Habitus* n. 26, quam in ipsa sua Romana editione ibidem impressam non debuerat Adnotator ignorare.

(4. Episcopus Regularis tenetur Habitum suæ Religionis deferre; cap. *Clerici officia* 15. *de Vita et honest. Clericor.* ibi: « Pontifices autem in publico, et in Ecclesia superindumentis lineis omnes utantur, nisi Monachi

fuerint, quos oportet ferre habitum Monachalem. » (5. Retento tamen colore Habituum suarum Religionis potest se conformare cum Episcopis secularibus in forma, seu figura; *Donatus Prax. Regul. t. 1. par. 2. tract. 6. quæst. 12. n. 8. in Rituali Romano reformato sub Clemente VIII. et sic modo servatur in praxi.* (6. Canonici autem Regulares S. Augustini in Episcopos promoti possunt uti habitu, quo utuntur alii Clerici seculares in Episcopos creati; Leo X. Constitut. 34, incipien. *Dudum*. Vide verb. *Habitus*, num. 26, ubi ad id affertur novissima Constitutio Benedicti XIII, merito observanda. (7. Episcopus Regularis tenetur recitare Officium juxta ritum suarum Diocesis, et non juxta ritum suarum Religionis; Sac. Congr. Rituum 11 Junii 1605. (8. Episcopo tamen ex Ordine Sancti Francisci Minorum de Observantia assumpto, conceditur, ut possit recitare tuta conscientia officium Sanctorum Ordinis Sancti Francisci, et celebrare eorum Missas, dummodo privatim celebret in sua Capella dictis diebus Sanctorum Ordinis cum Missali Romano, et Officium pariter recitet cum Breviario Romano; Sac. Rituum, Cong. in Majoricen. 6 Decembr. 1631. (9. Episcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Apostolicæ gaudent privilegiis suarum Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, non possunt de Beatis suarum Religionis recitare Officium, et in propriis Cathedralibus Missam celebrare, et Altare Beatis prædictis erigere; Sacra Rituum Congregatio 17 Aprilis 1660.

(10. Episcopus Regularis recuperat jus Successionis ad hæreditatem sibi delatam post promotionem, non obstante renunciatione; Sac. Congr. Concil. in Neapolitana 3 Decembr. 1639. (11. Episcopus Regularis non acquirit Monasterio, cui fuit Filius, sed propriæ Mensæ, seu Ecclesiæ quoad proprietatem, ad proprium tamen commodum quoad usumfructum; eadem Sacra Congregatio Concilii in dicta Neapolitana. (12. Episcopus Regularis post adeptum Episcopatum non recuperat bona ante Episcopatum jam tertio quæsitæ; Sacra Congregatio Concilii 11 Januar. 1631, et eadem Sacra Congregatio in dicta Neapolitana, in qua cum quæreretur:

I. « An Regularis professus incapax honorum, ad Episcopatum assumptus recuperet Jus succedendi quoad hæreditatem post assumptum Episcopatum sibi delatam? »

II. « An eidem obstet cessio, et renunciatione hujusmodi hæreditatis facta ad favorem fratris; ad præscriptum Sac. Concil. Trid., c. 16, sess. 25, de Regularibus sub. d. die 3. Decembr. 1639, resolutio prodiit.

Ad I. « Recuperare jus succedendi ad hæreditates post adeptum Episcopatum ad utilitatem suarum Ecclesiæ sibi delatas quoad proprietatem, et ad proprium commodum quoad usumfructum.

Ad II. « Eidem non obstare supradictam cessionem, et renunciationem, quoad hæreditates, quæ non sint alteri ante adeptum Episcopatum acquisitæ. »

(13. Frater Minor factus Episcopus auctoritate Papæ recuperat Jus succedendi ab in-

testato, et ex testamento; Rota in Urgellen. Hæreditatis 24. Maii 1619, part. 4, recent. tom. 2. dec. 115, num. 22. Bartol., in tract. *Minor*. lib. 4. dist. 3. c. 3. cum aliis allegatis, quæ quidem conclusio vera est, sed secundum terminos cap. *Statutum* 1. caus. 18. qu. 4. ut sibi usumfructum, et Ecclesiæ proprietatem acquirat, ut hoc modo votum paupertatis conservetur; Archidiaconus in d. cap. *Statutum* num. 2. Natt. consil. 180. n. 5. Feder. de Senis consil. 20. num. 7. et Rota loc. cit. num. 23. et 24. (14. Episcopo Ordinis Fratrum Reformatorum Sancti Francisci conceditur facultas disponendi de bonis intuitu suarum personarum acquisitis in quoscunque usus pios convertendis, et etiam ad favorem Consanguineorum, et Affinium, si Sanctissimo placuerit, prout concessi, et facultatem indulget 12 Aprilis 1703. Congreg. particularis in Ajacen. dispensationis apud Card. Petram tom. 3. *Comment. in Constitut. 11. Clement. IV.* sub num. 44. (15. Episcopus Regularis, si sit negligens in exigendo bona hæreditaria, vel eis renunciet, tunc succedit Ecclesia proprietaria ex dispositione c. *Statutum* 1. caus. 18. quæst. 1. et pro ea Capitulum potest agere, dum tractatur de præjudicio Ecclesiæ, et Episcopatus; Rota cit. tom. 4. part. 2. recent. dec. 113. num. 9. et 10. (16. Episcopus Regularis adeundo hæreditatem sibi delatam potest sibi præjudicare quoad usumfructum, non autem quoad proprietatem, quæ fuit acquisita Ecclesiæ; Rota loc. cit. n. 18.

(17. Regularis factus Episcopus debet relinquere Religioni, vel Monasterio totum id quod ante promotionem in Religione acquisivit, et habuit; c. *Statum* 1. caus. 18. quæst. 1. et pluries statuerunt Summi Pontifices, et signanter Alexander IV. pro Minoribus 5. Decembris 1255. Constitut. incipien. *Ex parte vestra*, ubi præcipit, quod Fratres Minores Ord. S. Francisci ad Episcopalem, et alias Superiores Dignitates promoti, Libros, et alia sua bona, quæ ipsos promotionis suarum tempore habere contigerit, Generali ejusdem Ordini Ministro, vel Provincialibus Ministris, submota quacunque dilatione, resignent, nisi forsitan dicti Ordinis Superiores eis ipsorum librorum usus ad tempus concesserint de gratia speciali. Similem resignationem a Patribus Ordinis S. Dominici faciendam statuit idem Pontifex eodem anno 1255. 11. Maii in Libro *privilegior. ord.* pag. 33. et sic etiam Clement. IV. 9. Junii 1628. Constitut. incipien. *Providentia*, ubi universis Fratribus Ordinis Prædicatorum Sancti Dominici ad Archiepiscopatus, Episcopatus, et Prælaturas assumendis inhibetur, ne consecrationis munus quoquomodo recipiant, antequam libros, et bona Ordinem memoratum contingant, quæ apud eos tempore suarum promotionis habere contigerit, Prioribus, aut Conventibus, de quibus assumpti fuerunt, cum integritate resignent, nisi forsitan iidem Priores de consensu ipsorum Conventuum usum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum; alioquin eo ipso ab executione Pontificalis Ministerii

noverint se suspensos. Inter hujusmodi autem libros intelliguntur comprehensi Quaternali, et illæ Chartulæ, vel membranæ, in quibus dicti Fratres sibi certa notabilia cum aliquibus privatis sermonibus collegerunt; et novissime Benedictus XIII. Constitut. incipien. *Postulat humilitat. nostræ* § 5. expresse interdixit Regularibus omnibus ad quascunque dignitates Ecclesiasticas promotis, ne secum extra Cœnobium ulla bona asportare audeant. Et insuper ibid. § 6. ademit Regularium Superioribus facultatem concedendi promotis eisdem ad tempus usum librorum, aliorumque. (18. Episcopus Regularis non subjicitur Bullæ de largitione munerum, quia ibi prohibentur illæ largitiones quæ fiunt de bonis pertinentibus ad Religiosorum Monasteria. Largitiones autem Episcopi Religiosi non fiunt de Bonis Monasterii, sed de redditibus, quorum liberam habet administrationem, et usumfructum periunde ac si esset Episcopus secularis; Rota Tom. 4. part. 2. recent. dec. 115. n. 3. Donat. *prax. Regul. tom. 1. part. 2. qu. 6. n. 9.* et alii passim. (19. Episcopus Regularis, si ad suam Religionem redierit, Dignitates, et officia illius obtinere prohibetur. Paul. IV. Constit. incip. *In Sacra*. (20. Episcopus Regularis, si Episcopatum resignet, aut ob culpam deponatur, dummodo non degradetur, non tenetur ad Regularem observantiam redire, sed remanet in perpetuum exemptus, sicut prius, quia retinet eminentiam Episcopalem. Sic quidem Imola in *Clem. 1.* num. 2. *de election.* Federic. de Senis consil. 38. numer. 2. Pryn. in *formular. Regul. litt. G.* cap. 6. num. 7. Layman in *Theol. moral.* lib. 4. tract. 5. cap. 1. *de statu Relig.* num. 9. et cum multis aliis Barbosa *de offic. et potest. Episcop.* part. 1. tit. 1. c. 4. num. 18. At nunc attendenda est Constitutio Benedicti XIII. incipien. *Custodes*, vi cujus Episcopi Regulares, si se abdicaverint Episcopatu, tenentur claustra suarum Religionis repetere, nisi tamen aliter concessum illis sit a Summo Pontifice.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Falsum est Regularem Episcopum, si contingat, ut vel Episcopatum resignet, vel aliquam ob culpam Episcopatu privetur, ad propria claustra redire non teneri: Nam in laudata Benedicti XIII. Constitutione Episcopis Regularibus præcipitur, ut « dimisso Episcopatu, seu quacunque alia dignitate, ad quam evecti fuerint, vel perfuncto munere sibi extra claustra, commisso, ad eadem claustra redire teneantur, sub pœna privationis usus Pontificalium, et si permanserint in contumacia non redeundi ad claustra, post annum sint eo ipso suspensi a divinis. »

RESPONSIO AUCTORIS.

Huc recurrunt, quæ supra innui, de Constitutione incip. *Custodes* a me jam allata

(1) Extat de Episcopis Titularibus P. Andreucci dissertatio, dignissima quæ hoc loco conferatur. (Eort. BARBIEL.)

sub verb. *Habitus*, num. 26: quod ignorare non debuerat Censor.

(21. Episcopi Titulares antiquitus non creabantur, sed tantum quia propriis Ecclesiis ob hostilitatem ejecti erant, in aliis Ecclesiis vacantibus Cardinales constituebantur, donec ad proprias Ecclesias reverti permitterentur, in cap. *Pastoralis* 7. quæst. 1. Fagnanus lib. 5. Decret. in cap. *Episcopalia* 1. *de Privilegiis, et excessibus Privilegiator.* num. 39. (22. Modo tamen non jam, qui expulsi sunt, dantur Episcopi Ecclesiis vacantibus, sed creantur denuo Episcopi Titulares illarum Ecclesiarum tum ob alias causas, tum ad hoc ut suffragentur aliis Episcopis: Fagnan. *loc. cit.* n. 41. (23. Horum Episcoporum Titularium, qui creantur Episcopi alicujus Ecclesiæ in partibus infidelium sitæ, quæ neque populum Christianum, neque Clerum habet, nulla origo reperitur ante decretum Concilii Lateranensis sub Leone X. sess. 9. *de Cardinalibus*; ubi permittit creari Episcopos Titulares, quibus pro suffraganeis possent uti Cardinales Episcopi in suis Ecclesiis, sicuti modo utuntur ipsis etiam varii alii Episcopi non Cardinales, et ideo etiam hodie Summus Pontifex cum creat hujusmodi Episcopos Titulares, utitur similibus verbis: *Et suffragentur talibus, donec*, etc. Fagnan. loco citato n. 41 et 44 (1). (24. Episcopi Titulares sunt veri Episcopi Characterem habentes Episcopalem; cap. *Pastoralis* 7. quæst. 1. et ibi Archidiaconus sub numer. 4. et *Præpositus* in 1. *notabil.* et alii communiter. (25. Pontificalia tamen exercere non potest Episcopus Titularis, nisi in illa Diocesi, cui datus est suffraganeus, ut statuit S. Pius V. in decreto suo Consistoriali, teste Fagnan. *loc. cit.* num. 50. (26. Neque in locis exemptis, nisi de licentia Episcopi loci, intra cujus fines locus hujusmodi exemptus, fuerit constitutus; Concil. Trident., sess. 14. cap. 4. *de Refor.*, et sic expresse decisum fuisse a S. Congr. Conc. refert Aldan. in *compendio Canon. resolut.* lib. 1. tit. 4. n. 3.

(27. Neque potest Episcopus Titularis in Ecclesia sua jurisdictionali, veluti si esset Præpositus, Chrisma conferre, nec alia Pontificalia exercere, nisi de expressa licentia Episcopi, intra cujus Diocesis fines Præpositura existit, ut decisum fuisse refert Aldan. in *compendio Canon. resolut.* lib. 1. tit. 8. num. 10. (28. Neque potest Episcopus Titularis familiarem suum etiam triennale ordinare absque sui proprii Prælati expresso consensu; sic expresse Conc. Trident. citata sess. 14. cap. 2. *de Reformat.* (29. Immo ordinati ab Episcopo Titulari sine consensu proprii Episcopi, ipso jure (30. suspensi sunt, donec suo Prælati visum fuerit. (31. Sic expresse Trident. *loc. cit.* Et ipse Episcopus Titularis Ordines conferens, seu Pontificalia exercens sine licentia Ordinarii Diocesanani est suspensus per annum ab usu Pontificalium, textu expresso in Trident. *loc. cit.*